



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. De effectu transactionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. VI.

De Effectu Transactionis.

Prius effectus transactionis est, quod per illam libus motis & movendis finis imponatur, vel ne oriantur, impediatur. (ob bonum scilicet pacis, cui studere Republicæ & bono communi plurimum prodest) ita ut semel bonâ fide inita transactio, & legitimè celebrata, invitâ alterâ parte transigentium, refundi non possit, et si nova instrumenta faventia contra talem transactionem reperta essent, prout summitur ex c. r. h. s. neque ulli parti penitere concessum sit, etiam si contractus hic transactionis nondum expletus sit.

Secundus effectus est, quod quantumvis actionem civilem non pariat, si nudo pacto celebrata sit, neque rei traditione vel stipulatione &c. firmata sit, cum ex nudo pacto de jure Civili non detur actio, parit tamè exceptionem litis finitæ, quæ ante vel post litis contestationem opponi potest, ita ut, qui fuit in causa principali unius partis litigantis advocatus, si hæc postmodum per transactionem pactum finiatur, testis esse possit hujus transactionis, prout summitur ex c. Ex litteris d. h. s. neque impugnare possit eam tamquam irritam, qui Suasor Auctor, aut Mediator hujus transactionis fuit, qui propriam suam turpitudinem talis allegaret.

TITVLVS XXXVII.

DE POSTULANDO.

§. I.

Quid sit Postulare, seu Advocare, quomodo Advocatus à Procuratore differat, & à quo constituantur Advocati?

Postulare latè loquendo aliud non est, quam suum vel alterius desiderium in judicio exponere apud eum, qui jurisdictioni præstet; propriè tamen & strictius loquendo postulare dicitur, qui in judicio partis præsentis advocatum agit, & hinc

qui consilium quidem dat in causa aliqua, sive scripto hoc faciat sive verbo, aut partes inducit ad contractum, transactionem &c. faciendam, in judicio tamen parti non assistit præsens ipse, propriè postulare non dicitur, cum postulare hic sit idem quod advocare, advocare autem non dicitur, qui in judicio non assistit; unde qui ex lege, statuto, aut pacto prohibentur advocare, consilium tamen scripto, vel verbo gratis, vel pro mercede &c. extra judicialiter dare non prohibetur. Et quamvis Advocatorum & Procuratorum nomina